

**Louiche-Desfontaines, René -
candidat / Mitié, Jean-Stanislas -
président / Gervaise, Louis-Alexandre
- auteur. - An Melancholici leniter
purgandi ?**

1781.

***Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°69***



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

BIJ Sainte
Médecine
Paris

QUÆSTIO MEDICA*,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,
*manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis v. gesimo nono mensis
Novembris, anno Domini M. DCC. LXXXI.*

M. JOANNE-STANISLAO MITIË, Regiæ Scientiarum & Litterarum Socio necnon Stanislai I. Poloniarum Regis olim Medico ordinario, Doctore Medico, Præside.

An Melancholici leniter purgandi?

I.

HUMANI corporis compagem morbis contrahendis, quàm sanitati conservandæ aptiorem non immeritò dixeris. Ab expedito humorum fluxu, ab expeditâ vasorum flexilitate, à mutuâ & debitâ horum in se invicem actione sanitas; ab ipsis quâcumque de causâ labefactatis, pendet omne morborum genus. Numerosa, quibus humana gens obnoxia patet, morborum cohors ad duas classes potest contrahi: quarum una acutos, & qui cum rapido, altera chronicos,

* Auctore M. GERVASE, D. M. P. anno 1749.

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

2
& qui cum lento ægrotantis periculo decurrunt, morbos comprehendit. Quàm latè pateat acutorum classis nemo non novit. Nec minùs latè extenditur chronicorum numerus. Sed inter hos vix ullum indomabiliorem observant Medici quàm affectum melancholicum. Huic debellando purgantia quidem conferunt, sed omne purgantium genus huic scopo indiscriminatim idoneum cave credideris. Ea tantùm felige quæ noxios, & cautâ solutione priùs paratos, humores leniter subducunt.

I I.

AFFECTIO melancholica oritur ex illâ sanguinis & humorum diathesi, quam antiquiores Medici bilem atram dixerunt, & rursus idem morbus à mente ducens originem in corpore sano, sât brevi temporis spatio, ipsam bilem atram producit, In hoc affectu ægrotantes assiduò & pertinaciter delirii quâdam specie urgentur, & uni eidemque cogitationi sese vel invitos immorari, sibi ipsis conscii sunt. Hæc diathesis nihil aliud est quàm nimia humorum inspissatio, ratione cujus nonnisi in majoribus vasis expeditè perficitur, in lymphaticis verò & membranosis tendinosisque ductibus torpido motu progreditur circulatio. Humores intus canalium parietibus adhærescunt, & diuturniori morâ acridinem contrahunt. Sic hujusce morbi essentia, in præternaturali acrimoniâ & spissitudine, tota consistit. Spissior hæc & acrior liquidorum indoles teneras lymphaticorum vasorum membranulas distendit, nervulos ipsis intertextos distrahit, vellicat, corrodit, abrumpit. Quàm indè varia sobolescunt symptomata! Nonnè præ nimia erethismi *intensitate* omnes turbantur secretiones & excretiones? Assidui doloris sensus in toto corpore nascitur. Et somni quies, & blandæ quietis spes omnis aufugit. Tristis anxietas ægrotantes discruciat, cum ipsis ruscatur, ambulat, pernoctatur. In pectore quasi angustato vitalis dilatabilium pulmonum alternatio coercetur, aut velut coerceri saltem perferitur. Si jam acriores & vaporosæ stagnantis & putrefacti humoris partes vènulis impressæ resorbentur, ad cor & cerebrum circulationis impetu abripiuntur, ipsisque labem nullam non inferunt. Quænam ergò remedia tot tamque diris symptomatibus & præcavendis & sanandis idonea? Præstantissimorum Medicorum scripta evolve. Ubique commendantur ea quæ fluxiles adhuc parter conservent, quæ inspissatas fluxiles reddant; quæ natam acrimoniam obtundant, & destruant; que denique dulcedinem amissam restituere valeant. Talia sunt, motus & animi & corporis moderatus, diætâ ténus & laxans, somnus largior in locis subhumidis & modicè frigentibus, medicamenta quibus acre irritans demulcetur, oleosum terrestre resolvitur, vasa emolliuntur rigentia, & quorum leni stimulo ordinatiores vasorum motus excitantur, ut levia decocta plantarum refrigerantium & molliter aperientium, juscula ex oleribus lenissimis, mellita, serum lactis, succi fructuum horæorum, extracta lenia, Rhob sambuci & mororum, myva cydoniorum, sapæ acido-dulces, & ea omnia quibus liquidi subtilioris copia potest increfcere, & dissolvi partium liquidarum inter se arctior concatenatio. Quæcumque contrariis effectibus producendis opportuna sunt, ubique dissuadentur, & prorsus infecura demonstrantur.

II I.

CUM porrò in melancholici affectûs curatione tanta sit Medicorum sedulitas in dissolvendis & diluendis nimum condensatis humoribus, quis non animadvertit quot & quantas in corpore procellas validiora excitent purgantia?

Hæc duplici potissimum ratione noxam inferunt. 1°. Acri, quam in glandulis intestinalibus excitant irritatione, tantam fluidorum secretionem promovent, ut liquores in corpore residui crassiores reddantur. 2°. Hæc eadem irritatione, dolores quibus ægri tacite priusangebantur, immaniter adaugent. Verum nil simile metuendum ex blandis purgantibus. Quotuplici nocent validiora, totuplici profunt titulo lenia carthartica; 1°. blando, quo pollent, stimulo tibi intestinalis fibras ferè inertes vellicant, & in molles contractiones adigunt; undè ea tantum accidit secretio, quæ humores exitui paratos, & ad intestina jam delatos leniter emungat, non violenter extrahat. 2°. Moderatâ hæc evacuatione vasa noxiis humoribus pro parte exonerantur. Suspiciandi denique locus, quod tantilla medicamenti pars ad sanguinis massam devoluta, & cum ipsâ repetitis circuitibus permixta, ipsius concreciones aliquantulum sit dissolutura.

I V.

SI quis jam attentè perpenderit genuinas melancholici affectûs causas, ultro fatebitur ea omnia sedulo vitanda esse, quæ immodicas fluidorum evacuationes producant. Reverà ubinàm morbus ille frequentior quàm in regionibus calidis? Quosnam sæpius aggreditur, quàm eos qui Venere utuntur immodicâ, qui amore aut gaudio vividiori sese abripi, vel mœrore aut metu sese nimium affici patiuntur? Hæc omnia liquida nervosa cerebri figunt, exhauriunt. Neque hæc sola melancholiæ efficiendæ apta sunt, sed etiam quæcumque sanguinis confectionem, humectationem, circulationem, & defæcationem turbant, imminuunt, impediunt; ut morbi acuti, mutata assueti victûs ratio, cibi ascriores, liquores fermentati, adstringentium usos diuturnior, secretiones & excretiones suppressæ, aut præter modum adauctæ, aër æstuans & fervido calore humores exaffans, robustior denique corporis compages, & in enodandis densâ caligine obnubilatis difficultatibus, diu & fortiter intenta mentis vividior & penetrantior acies: quæ omnia effectus suos exerunt tenuiores & mobiliiores sanguinis partes dissilando. Indè liquet quod contraria in remediorum electu semper sint quærenda.

V.

QUANTUMVIS rationi consentanea videatur proposita curationis methodus, nullos tamen nobis esse adversaturos, absit ut credamus. Multis nobis objicient emesim in hoc affectu curando non minùs esse efficacem quàm purgantia, etiam leniora. Nec ipsi nos imus inficias, sed nullum ex emesi fructum esse sperandum contendimus, nisi molliter promoveatur: quæ ad hanc normam celebrata æquipollet blandæ catharsis actioni. Imò alii ulterius progredientur, & ipsa etiam purgantia vehementiora, inquierent, curationem absolvunt, nam sæpè curatus fuit hic morbus subito superveniente spontaneâ atræ bilis per superiora & inferiora rejectione. Cum verò Medicus in morborum curatione se fidum naturæ imitatore debet ostendere, vestigiis tam distinctè impressis insistat, necesse est. Hujusce axiomatis energiam tam inconcussam nosmet ipsi agnoscimus, quàm qui maximè. Sed cum natura spontaneis evacuationibus materiem morbificam è corpore expellit, hæc materies multimodis humorum circuitibus, diuturno vasorum motu, & valido horum in humores contentos renixu subacta prius, & fluxilis fuit reddita. Cum ergò melancholicos nonnulli leniter purgandos suademus, naturam quoque ipsam ducem nos sequimur. Eas

solum materies educi jubemus, quæ exitui paratæ sunt, quæ verò nimium adhuc tenaces, intactas relinquimus, donec adhibendorum alterantium beneficio fatis dilutæ, ad exitum fiant obsequiosæ. Si properantiùs & validiùs atræ bilis tentaretur exturbatio, aut ipsa laudabilis humorum pars è sanguine emungeretur, aut morbifica materies æquo promptiùs & abundantius exsoluta, in viscera vitæ necessaria subito impetu irrumPens, mortem citissimam pro exoptatâ sanatione inferret. His ita dilutis inanibus argumentis, nonnè inconcussa manet nostra hæc conclusio ?

Ergò Melancholici leniter purgandi.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Petrus LASERVOLLE.

M. Claudius-Ludovicus BER-
THOLET.

M. Joannes-Franciscus-Clemens
MORAND, Eques, Regiæ
Scientiarum Academia Pari-
siensis Director, plurimis aliis
Acadd. consociatus, Regii
Medicorum Nanceianorum
Collegii Socius honorarius,
apud Leodienses, civitatis ju-
re donatus, nec non Collegii
apud eos Medici Assessor ho-
norarius.

M. Paulus-Augustinus-Oliva-
rius MAHON DE HOUSSAY.

M. Antonius MATHEY.

M. Martinus NOUGUEZ.

M. Stephanus CROCHET.

M. Carolus-Ludovicus-Marla-
Gabriel DUPRÉ.

M. Ludovicus-Alexander GER-
VAISE.

Proponebat Parisiis **RENATUS-LOUICHE DESFONTAINES,**
Rhodonensis, Doctor Medicus Remensis, necnon Saluberrimæ Facultatis
Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1781. AB OCTAVA AD
MERIDIEM.



Typis **QUILLAU,** Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi 1781.